



**Venerabilis Bedæ Presbyteri Anglo-Saxonis, Doctoris  
Ecclesiæ Vere Illuminati Opera Theologica, Moralia,  
Historica, Philosophica, Mathematica & Rhetorica,  
quotquot hucusque haberi potuerunt omnia**

In Vetus Et Novum Testamentum, Salvberrimis In Moysis Pentatevchvm,  
Tobiam & Iobum, Libros Regum, Davidis Pasalmos, Parabolas Salomonis &  
Cantica, Prophetas &c. explanationibus & Quæstionibus enodata:  
Moralibus doctrinis & expositionibus in quatuor Evangelistarum Evangelia  
illustrata: facundissimis ...

Sive Eivsdem Historia Ecclesiastica Anglorum, Vitæ Aliquot Sanctorvm, Et  
Martyrologium

**Beda <Heiliger>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

Vita Divi Patritii, Lib. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71990)



rum recepti venientesq; ad monasterium, patrem nostrum Attalam jam febribus detentum reperimus, ac morti proximum inventum lugebamus: ipse verò visis nobis gavisus est. Sicq; aperte cognovimus, viri Dei in hoc prævaluisse preces, ut me vis febrium urgeret, citò ad monasterium ante ejus exitum redire: qui cum adhuc ingens halitus superesset, iussit se foris cellam fratrum adminiculo perducì. Ubi dum monachorum sustentaculo fuisset constitutus, aspiciens crucem, quam ipse in eodem loco poni præceperat, ut ingrediens egrediensq; cellulam ejus, in circuitu frontem suam & cor muniret, cepit mæstus lachrymas fundere, ac trophæum crucis, Christi q; passionis signata commemorare: Ave, inquit, alma crux quæ mudi pretium portasti, quæ vexilla fers æterna: tu nostrorum vulnerum medicinam attulisti, tu cruore ejus illita es, qui ut humanum genus salvaret, de celo in hanc lachrymatum vallem descendisti: qui in te primi Adæ rugam extendit, & secundus Adam factus, maculam generis humani lavacro baptismatis, & cruore suæ passionis abluit. Cum hæc & his similia oraret S. Attala, rogat fratres ut à se recederent, sibiq; paulisper locum secretum præberent. Ab absentibus ergo omnibus, unus tantum frater nomine Blitmundus post eum viri Dei tanto anhelitu desiderio stetit, ut cogitaret, se viri Dei poplites felloso orationum conatibus labefactari vidisset, se ad suscipiendum eum paratum esse. Cui ergo nullum superesse S. Pater putaret, cepit conditoris clementiam cum lachrymarum ubertate flagitare, ut largitatis suæ sibi, ac si indigno famulo suo dona largiretur, & veteres maculas delens omnia salutari redintegraret: ac antiquam misericordiam exercens, se à cælesti munere non abdicaret. Inter hæc mæsta suspiria & fluentes lachrymas caelos intuens, vidit sibi eos apertos: quos multarum horarum spatio affectuose inspicens, uberes cordis rugitus emisit. Gratiâs deinde referens omnipotenti Deo, qui sibi januas cæli apertas adhuc viventi in carne demonstravit, quas post paululum corporis membris depositis penetraturus esset, factò signo, ut fratres advenirent, præcepit, ut eum cellæ domicilii reportarent. Hæc nobis supradictus frater eadem die retulit, quantæ consolationis certitudinem Dñs famulo suo ostenderit, ut extremum halitum secutus de futura vita ovans ad cælum dimitteret. Quod vir Dei libenter occultare voluisset. & supradictus Blitmundus abditè post ejus dorsum non remansisset. Altera die valefaciens omnibus fratribus vir Dñi sanctus Attala, exhortabatur eos, ut ceptum iter sacre religionis non relinquere: sed ut melioribus actibus roborati, quotidie perse verando firmarent. Consolatis ergo cunctis, vitæ præsentis nexibus absolutus, animam cælo feliciter reddidit. Merito itaq; rerum conditor, & humani generis reparator sanctos suos virtutum copia adornat, sicut scriptum est in lib. Sapientie. Spiritus ejus ornavit caelos: quia illi ad cælestem vitâ anhelantes, ejus præceptis parere semper student, ut de labore obedientie fructum recipiant palmam vitæ æternæ, per Christum Dñum nostrum. Amen.

**BEATI PATRICII  
PRIMI PRÆDICATORIS ET EPISCOPI  
TOTIUS BRITANNIÆ, VITAE  
ET ACTUS,  
Liber I.**

**S**ANCTUS Patricius, qui & Sochet vocabatur, Brito fuit natione: in qua etiam multa adversa in adolescentia perpeffus, omni genti suæ ac patriæ factus est in salutem. Hic in Britannijs natus est à patre Calpurnio diacono, qui fuit filius Potii presbyteri: & matre Concessa nomine, de vico Bannavæ, Tyburniæ regionis haud procul à mari occidentali, quem vicum indubitanter comperimus esse Nentriæ provincie, in qua olim gigantes habitasse dicuntur. Qui cum esset puer annorum 13, cum cæteris alijs multis captus ad barbarorum

insulam devectus est, & apud quendam gentilem immittem regem in servitute detentus. Quam captivitatem sanctus Patricius secundum Psalmistæ præceptum cum tremore & timore Domino serviens, in vigilijs & orationibus multis exegit. Centies enim in die & nocte similiter orabat, libenter reddens quæ Dei sunt Deo, & quæ Cæsaris Cæsari: incipiebatque semper in melius timere & amare Dominum omnipotentem, unde & Spiritus sancti gratia fervebat in eo. Quotidie autem pecora pascebat cum cæteris servis regis, nec tamen quicquam minuit de opere divino. Frequenter enim psalmos & hymnos ruminabat, & ad venias faciendas furabatur horas. Unaquaque die laborabat ad opus Dei, & noctibus similiter, proprio non parcens corpori, ita ut in sylvis & montibus manens, antelucem absconse surgeret ad orationem. Per nivem enim & gelu, per pluviam & pruina laborans nihil mali sentiebat, neque ulla pigritia erat in eo. In tali ergo labore positus, quadam nocte in somnis audivit vocem dicentem sibi: Benè jejunas & oras, citò iturus es ad patriam tuam. Deinde post parvum tempus audivit vocem dicentem sibi: Ecce navis tua parata est. Et ita invenit manè, ut dictum est ad eum. Cucurrit igitur mane contra mare 200 millia passuum, ut veniret ad navem, & venit ubi nunquam antea fuerat, nec ubi notum quenkam habebat, relinquens homines cum quibus fuerat, captivus septem annis. Sic ergo currens in virtute Dei, qui viam ejus dirigebat, nihil metuebat, donec veniret ad navem à Deo sibi preparatam. Et ipsa die qua venit, profecta est navis de loco suo, Nauclerus verò cum locutus esset ad eum de mercede navis, ille respondit, se non habere. Quod verbum gubernatori satis displicuit, & graviter eum, quòd sine navo suam ingressus fuerat navim, cum indignatione corripuit, & de navim mox perturbavit, dicens: Nequaquam tu nobiscum ibis sine navo. Hæc audiens & sentiens, ac patienter perferens, separavit se ab illis cum gemitu & lachrymis, orans ad Dominum, ut sui miseretur, & iter ejus disponere dignaretur. Sed antequam orationem consummasset, audivit unum ex illis fortiter exclamantem post eum, & dicentem: Revertere juvenis, quia vocant te homines isti. Qui statim Deo gratias agens, reversus est. Et ceperunt nauæ dicere ad eum: Veni nobiscum juvenis, & esto nobis in auxilio: videmus enim virtutem Dei tui tecum esse; quapropter ex fide recipimus te, ut facias nobiscum amicitiam contra incommoda & pericula maris, ac vastitatem longæ solitudinis, quam transiri sumus. Eadem die cepit Patricius prædicare nauis verbum Dei, & timorem ejus. Nam sperabat illos ad fidem Christi venturos, quia gentes erant: & hoc ordine conversatus cum illis, accipiebat ab eis fructum prædicationis, visum videlicet suæ necessitatis. Navigantes ergo per vastum aquor, post triduum ceperunt terram contra solitudinem: statimque excurrentes de navim, 28. dies ambulaverunt per desertum, & cibus defuit illis, famisque afflictio invaluit super eos. Tunc cepit gubernator dicere ad Patricium: Quid est nunc Christiane? Tu dicis, quia Deus tuus magnus est & omnipotens, & timentibus eum, nihil deest: quare ergo non potest nos salvare à periculo famis, qui verba fidei ejus per tuam prædicationem suscepimus? In dubio est enim, ut aliquem hominem unquam videamus, sed potius in hac solitudine fame omnes moriamur. Quos statim beatus Patricius consolans, sic allocutus est, nolite desperare fratres, sed convertimini ex toto corde de infidelitate vestra ad Dominum Deum meum, quem prædicavi vobis, quia nihil est impossibile ei. Confidite ei, & orate ex corde, ut hodie cibum mittat sufficientem in viam vestram, quia omnium bonorum abundantia est illi. Nam ejus est orbis terræ, & plenitudo ejus: & ipse potens est ubique terrarum, spes omnium finium terræ, & in mari longè. Clamantibus autem illis & orantibus, & se credituros esse vota facientibus, ecce subito grex porcorum in via ante oculos eorum apparuit. Quod videntes ceperunt laudare Dominum, & crediderunt Christo per beatum Patricium: & expleti laudibus



multis interfecerunt porcos: excussoque igne de filicibus coxerunt carnes, & comederunt ad saturitatem, siccantefque alias detulerunt fecum, usque dum pervenissent ad civitates, ad quas pergere volebant. Dum autem adhuc essent in solitudine, iter agentes cum Patricio, invenerunt mel sylvestre, quod offerentes ei, rogaverunt ut ipse ex hoc gustaret: nam carnes ipse non comederat. Et post hoc summas gratias egerunt Deo, sed & Patricius honorificatus est sub oculis eorum. Eadem nocte cum dormiret Patricius, graviter tentavit eum satanas, fingens saxa ingentia & quasi coniuventia omnia membra ejus. Dixitque ad eum, Quare Patrici avertisti a me homines istos? Ecce morte morieris tu, & non vives. Expergetus ergo Patricius signaculo crucis conignavit se, & surgens ad orationem, solito more proftravit se ad venias suas. Et cum trina voce invocasset Christum verum solem, statim ortus est ei sol, qui resurgens expulit omnes caliginum tenebras, & restituta sunt vires ejus, & terrores demonum insidiasque eorum amodo non petiunt. Veniens igitur cum praefatis nautis ad civitates eorum, praedicavit ibi verbum Dei, & multum populum convertit ad Christum. Post multos autem annos S. Patricius captivum iterum ab alienigenis pertulit. In qua captione dum ductus esset in terram longinquam, & linguae suae profusus alienam, in una nocte audire meruit divinum responsum, dicens sibi: Noli timere Patrici, sed esto fidelis in tentationibus tuis: duobus tantum mensib' eris in captivitate, & post hoc ad patriam venies: sed & tibi cum parvo tempore fueris demoratus, tertio captivitatem patieris, deinde Romam venies: exinde reversus, omnem terram hanc subjugabis mihi, reges & principes subiecti erunt tibi, Scotia atque Britanniam, Angliam & Northmanniam, ceterasque gentes insularum baptizabis, & post haec cum honore assumam te mihi. Quod & ita factum est. Sexagesima enim die liberavit eum Dominus de manibus barbarorum: & fugiens cum alijs captivis salvatus est per misericordiam Dei, qui & praevideit ei & comitibus suis cibum & ignem ac siccitatem quotidie, donec decima die pervenirent ad homines patriae suae. Per paucos autem annos apud parentes suos requiescens, rogatus est ab illis obnix, ut vel adhuc post tantas tribulationes & tentationes de reliquo vitae nunquam ab eis discederet. Porro ille non consensit petitionibus eorum. Interim ostensa sunt ei multae visiones spirituales. Erat jam tunc incipiens quasi annorum 30, occurrentesque secundum plenitudinem Christi. Cumque adhuc esset in patria cum patre Calpurnio & matre Concessa, frater etiam Ructhi, ac sorore Mila nomine, in civitate eorum Arimuric, facta est sedicio magna in partibus illis. Nam filij Rethmiti regis de Britannia vastantes Arimuric, & alia circumposita loca jugularunt Calpurnium, & uxorem ejus Concessam: filios autem eorum Patritium & fratrem ejus Ructhi unam cum sorore captivos abducentes Hyberniam ingressi sunt: & vendiderunt Patritium Milchoni regi, Ructhi vero fratrem ejus ac sororem alteri principi: ubi & post multum temporis data est fratri suo Ructhi in conjugium. At ille sciens esse sororem suam, non tetigit eam, mansit tamen cum ea in continentia. Post haec venit angelus Domini ad B. Patritium juxta petram montis Egli, & dixit illi: Vade ad haereditatem tuam, de qua venisti. Qui statim fugiens de captivitate, perrexit iter unius diei, usque dum veniret ad domum cuiusdam viri in Arceennaete civitate. De cuius domo dum exiret, suscepit eum vir in navim suam, & vendidit eum in Galliam, & portavit precium ejus domum, solidos scilicet 30. Suscipientes ergo Galli B. Patritium, duxerunt eum in navi in terram suam: qui cum navigare cepissent, fuit illis ventus contrarius multis diebus. Rogavit autem S. Patricius Dominum, & dedit illis ventum congruum. Deinde venit cum Gallis post dies 12, ad Brorgalum, inde Trajectum, ubi cum venisset B. Patricius, absolutus est a Christianis de captivitate. Et fugiens inde, pervenit ad Martinum Episcopum Turroni, & quatuor annis mansit cum eo: & tonsio capite ordinatus est ab eo in clericum, & tenuit lectionem & doctrinam ab eo. Peracto vero quadriennio, apparuit ei An-

gelus Domini, & dixit illi: Vade ad plebem Dei, i. e. eremitas & solitarios nudis pedibus, & conversare cum eis, ut proberis per aliquod tempus. Et venit in solitudinem, & mansit cum eremitis per octo annos. Venit iterum ad eum Angelus Domini, dixitque ad eum: Vade ad illos, qui sunt in insula inter montes & mare. Exiens igitur de solitudine, venit ad insulas, sicut praecceptum erat illi: & fuit vita quotidiana ejus Domino disponente dimidius panis. Cumque mansisset inter insulas illos, & longo tempore laborem pro Christo sustinisset, dixerunt insulari illi: Non potest homo habitare nobiscum, qui non possit portare aquam nobis de fonte. Erat enim bestia magna juxta fontem in circuitu per totum annum, nisi in uno mense, id est Maio. Tunc oravit ad Dominum S. Patricius, & fugata est bestia de fonte: sicque permanit cum insulari illis novem annis, habitus ab eis in magna veneratione. Rursus Angelus Domini apparuit S. Patricio dicens: Vade ad sanctum Seniore Episcopum, qui est in monte Hermon in dextro latere maris oceanii, & vallata est civitas ejus septem muris. Cumque venisset illuc, mansit cum eo per aliquot dies. Deinde ordinavit eum Episcopus ille in sacerdotem, & lectavit cum eo multis temporibus. Dum autem ibi moraretur, nocte quadam audivit in visione voces puerorum de sinu & de ventre matrum, qui tuerunt in Hybernia dicentium: Veni sancte Patrici, salvos nos fac ab ira ventura. Eadem quoque hora dixit Angelus ad eum: Vade ad Hyberniam, & eris Apostolus in insula illius. Patricius respondit: Non possum ire, quia mali sunt homines qui habitant in ea. Angelus dixit: Vade: Patricius econtra, Non possum ire, nisi videro Dominum. Dicit ei Angelus: Ascende cacumen montis Hermon, & videbis ibi Dominum. Exiit ergo Patricius cum novem viris, & vidit Dominum. Dixitque Dominus ad eum: Veni ad dexteram meam, Et vivit Patricius ad dexteram Domini. Tunc ait illi Dominus: Vade in Hyberniam, & praedica in ea verbum salutis aeternae. Patricius respondit: Tres petitiones postulo a te Domine, ut homines videlicet Hyberniae divites sint in auro & argento, & ego sum patonus eorum, & post hanc vitam sedeam ad dexteram tuam in caelo. Ait illi Dominus: Habebis Patrici, sicut rogasti: & insuper qui commemoraverit te in die vel in nocte, non peribit in aeternum. Surgens igitur Patricius venit in Hyberniam, statimque vaticinatus sunt Prophetae Hyberniae, quod venisset Patricius illuc. Cum autem praedicantem illum diebus ac noctibus spernerent insulari, qui tamen resistere non poterant Dei ordinationi, S. Patricius fudit ad Dominum hujusmodi preces: Domine Jesu Christe, qui iter meum per Gallias atque per Italiam ad has insulas direxisti, perduc me obsecro ad sedem sanctae Romanae Ecclesiae, ut accepta inde autoritate praedicandi cum fiducia verbum tuum, fiant Christiani per me populi Hybernorum. Nec multo post progressus ad Hyberniam vir Domini Patricius, venit ad caput, ut postularet, omnium Ecclesiarum Romae: ibique benedictione Apostolica petita & accepta, reversus est itinere, quo venerat illuc. Transnavigato vero mari Britannico, & arrepto versus Gallias itinere, venit, ut corde propoluisset, ad hominem sanctissimum ac probatissimum in fide & doctrina, omnium penes Galliarum primatem eximium, Germanum videlicet, Antiochodensis Ecclesiae Episcopum: apud quem non parvo tempore demoratus est in omni subiectione, cum patientia, obedientia, caritate, castimonia, & omni tam spiritus quam animae munditia, virgo manens in timore Domini, ambulans in bonitate & simplicitate cordis omnibus diebus vitae suae. Interim autem dum ibi per multos dies demoraretur, Angelus Domini, qui ei indefinenter apparuerat, etiam modo crebris visionibus visitavit eum, dicens jam adesse tempus ut veniret in Hyberniam, & Evangelico ore nationes ferarum ac barbaras, ad quas docendas destinatus fuerat, converteret ad Christum. Nactus ergo tempus opportunum comitante consilio divino aggreditur iter, ad quod illum Dominus vocare dignatus est: misitque cum illo sanctus Germanus presbyterum nomine Regirum, ut testem & comitem eum haberet idoneum in omnibus vijs &



operibus suis. Nec dum tamen vir Dñi Patricius ad pontificalem gradum fuerat promotus; quod ideo nimirum distulerat, quia sciebat quod Palladius archidiaconus Cælestini Papæ, qui quadragesimus quintus à S. Petro Apostolice sedis præerat, ordinatus ab eodem Papa directus fuerat ad hanc insulam, sub brumali rigore positam, converendam. sed prohibuit illum Deus convertere gentem illam, quia nemo potest accipere quicquam in terra, nisi datum fuerit ei de cælo. Immites enim & feri homines recipere volebant doctrinam ejus, neq; ipse longum voluit transigere tempus in terra non sua, sed reverti d' ipsi ad eum, qui misit illum. Cùmque aggressus Palladius mare transisset, & ad fines Pictorum pervenisset, ibidem vita decessit. Audientes itaq; de morte Palladij archidiaconi, discipuli ipsius qui erant in Britannijs, i. e. Augulinus, Benedictus & ceteri, venerunt ad S. Patricium in Euboriam, & mortem Palladij ei denunciabant. Patricius autem, & qui cum eo erant, declinaverunt iter ad quendam mitæ sanctitatis hominem, summum Episcopum, Amatorē nomine, in propinquo loco habitantem: ubique S. Patricius sciens, quæ superventura essent illi, episcopali gradu ab eodē archiepiscopo Amatore sublimatus est. Sed & alij nonnulli clerici ad officium inferioris gradus ordinati sunt. Eodem verò die, quo S. Patricius sacris benedictionibus consecratus est, convenienter hoc Psalmistæ canticū in choro psalterium clericorum decantatum est, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Tunc venerabilis sacerdos Dñi Patricius nave celeriter ascendit, & pervenit in Britanniam, omisitque omnibus ambulandi artificibus, cum omni velocitate prospero fluctu mare nostrum in nomine sanctæ Trinitatis adiit. In diebus illis fuit quidam rex in isleem regionibus magnus, ferox & gentilis Imperator barbarorum hominū, regnans in Themoriam civitate, ubi erit tunc regni Scotorū erat caput Logareus nomine, filius Nel, origo stirpis regie insulæ illius: hic tunc secū magos & aruspices ac incantatores & omnis malæ artis inventores habuit, qui omnia prælagia more gentilitatis scire & providere se posse affirmabant. Ex quibus tres præ cæteris præferrebantur, quorum nomina sunt hæc, Locri, Eglijd, & Mel. Isti tres magi arte sua magica crebrius prophetabant Regi & cunctis optimatibus suis, quandam prophetam exterum adventurum fore cū ignota ac nova quadam doctrina molesta ac dura, de longinquis regionibus trans maria advenitū, à paucis optatū, ante multis susceptum, ab omnibus honorandum, regna subvertitur, resistentes Reges occisurum, turbas populorum seducturum, omnesq; deos eorum destructurum, & ejectis omnibus artibus & opibus in secula regnaturum. His & alijs verbis magi illi concitaverunt tam Regem, quam omnem populum in odium S. Patricij episcopi, & prophetando præcinebant quasi in modū cantici lyrici modo compositi, ante adventum sancti viri duobus aut tribus annis decantantes de eo. Hæc sunt autem verba cantici secundū linguæ illius idioma in Latinum translata, non tamē manifesta: Adveniet artis caput, cum suo ligno præcurvi capite: ex eo omnis domus erit capite perforata: incantabit nefas ex sua manu, ex anteriore parte domus suæ respondebit ei sua familia tota, Fiat, fiat. Quod nostris verbis potest manifestius exprimi: Adveniet totius artis magister cum signo suæ crucis, & quod omne cor hominum compungitur, & de altari sacramentorum convertet animas ad Christum, & omnis populus Christianorum respondebit, Amen. Quando erunt hæc omnia, tunc regnum nostrū gentile non stabit. Quod sic totum postea completum est. Evenit enim in adventu Patricij idololorum cultus, fides Christi omnia nostra loca ad adventū sanctissimi spiritus replevit. De istis in hoc loco sufficiat. Nam in consequentibus de magorum istorum conatu plenius exequemur. Consummato igitur navigio ac labore S. Patricius episcopus, onerata navi cum spiritualibus thesauris, i. e. cum armatura sanctæ prædicationis, in optatum portum regionis Evolenorum portum utiq; apud nos clarissimum delatus est: ubi visum est ei nihil prius se facturum esse, quam ut se ipsum primitus redimeret, statimq; ad illū genitū Regem

Milconem, apud quem quondam in captivitate venditus fuerat, iter direxit, portans ei servitutis precium, terrenum utique ac cæleste mercimonium: ut de captivitate æterna liberaret illū, cui antea captivus servierat. Cūq; venisset Patricius, & qui cum eo erant, ad interiorem insulam, quæ ejus nomine usq; hodie Milcon appellatur, absconderunt naviculam, & petreerunt ambulantes in terra per regionem. Qui cū requiescerent in quodam loco, invenit eos Porcarius Diconis, eujusdā viri natura non fide homi, habitantis ibi, ubi nunc est Patricij horreū, suo nomine usque hodie cognominatum. Porcarius verò putans eos fures aut latrones, venit & indicavit domino suo Diconi, quod invenissent homines ignotos: & induxit illum super eos ipsos ignorantibus. Qui statim veniens cum armis suis, volebat occidere eos: videns verò faciem sancti Patricij, compunctus est corde: convertit enim subito Dominus Deus cogitationes ejus, & induxit eos in domum suam. Tunc sanctus Patricius cœpit prædicare illi fidem Christi, & requievit apud illum non multis diebus. Credidit ergo homo ille primus omnium insulanorum cum omni domo & familia sua: volens autem sanctus Patricius ire, ut visitaret prædictam hominem Milcon, & portare ei servitutis suæ precium, relicta ibi navi apud Dicon, cœpit cum suis per terram dirigere iter suum in regionem Cruthenorum, donec perveniret ad montem Eglijde: de quo monte multo antè tempore, quando ibi captivus fuerat, presio vestigio in petra, vidit Angelum Domini in conspectu suo ascendere in cælum. Audiens verò Milcon servum suum Patricium ad se venientem, ut morem quem volebat, in fine vitæ suæ ab eo suscipere, doluit vehementer, & indignabatur ne servo suo subiectus fieret, & ne illi sui dominaretur omni nisu detrectabat. Instructū itaq; diaboli, igni se sua sponte tradidit, & in domo sua congregatio ad se omni instrumento substantiæ suæ incensus est: stans autem sanctus Patricius in supradicto loco à dextero latere montis Eglij, ubi primum regionem illam ingressus fuerat, vidit rogam, ubi nunc usque crux posita videtur ad primum lignum illius regionis. Videns verò sanctus Patricius rogam incendij præfati regis Milconis, stupefactus est: suspitansq; ac gemens, & lachrymas emittens, hæc verba protulit. Hic homo miserimè perijt, qui licet rex esset, & imperio uti potuisset, semetipsum igni tradidit, ne crederet in fine vitæ suæ, & ne serviret Deo æterno. Idcirco de filiis ejus nemo sedebit super sedem regni ejus à generatione in generationem, insuper & semen ejus serviens erit in sempiternū. His dictis orans & armans se signo crucis, convertit iter suum per eadem vestigia, quibus venerat: rursumq; pervenit in campum prædicti Diconis, & mansit ibi diebus multis, prædicans hominibus regionis illius cum omni fiducia verbum Dei, & multos eorū convertens ad fidem Domini nostri Jesu Christi. Ad præmissa iterū recurrit oratio. Angelus Domini ad eum in omni septima die semper venire consueverat, & sicut homo cū homine loquitur, ita colloquio ejus Patricius fruebatur, etiam cū in sexto ætatis suæ anno captivus teneretur. Is inquam, Angelus viginti vicibus in loco, quō tunc morabatur, apud diocionem scilicet, quem ad fidem Christi converterat, apparuit ei, ubi & nunc fidelium preces truncum felicissimū obtinent, in oratorio inibi constructo. Appropinquavit autem Pascha, quod primum in hac insula, non sicut quondam in terra Gesen celebratum est, sed sicut Dei filius in cœna sua cū discipulis corpus & sanguinem suū in redemptionem nostram consecravit. Et inierunt consilium Patricius & discipuli ejus, ubi primum hoc ipsum Pascha in gentibus, ad quas illos misit Deus, celebrarent. Multis ergo super hac re consilijs habitis, postremò divinitus inspirato sancto Patricio, visum est ei, hanc maximam resurrectionis Domini solennitatem, quasi caput omnium solennitatum celebrari debere in campo Breg maximo, qui est juxta Themoriam civitatem regis Logareni, ubi erat maximum regnum nationum illarum, & caput omnis gentilitatis & idololatriæ: ut juxta Psalmistæ vocē caput draconū confringeret Dominus, quatenus hoc in loco capite totius idololatriæ destructo, non posset ulterius diabolicus



error adversus Christi fidem insurgere, & ita factum est. Elevata denique navi ad mare, & dimisso in fide plena & pace bona praefato Dicone, migrantes de regione illa, & ad dexteram manum dimittentes omnia loca in portum, qui vocatur Colbdi, bene & prosperè delati sunt: ubi relicta navi pedestri itinere venerunt in campum illū maximum Breg nuncupatum, fixoq; ibi tentorio, debita Pascha vota in sacrificiū laudis, cum omni devotione sanctus Patricius cum suis omnibus altissimo Deo secundum prophetam vocem reddidit. Contigit verò eodem tempore, ut rex Logareus maximam ageret solennitatem idololatriæ in Themoria, quam gentiles multis incantationibus, & magicis inventionibus, & sacrificiorum superstitionibus summo studio celebrare solebant. Congregatis ergo tunc Regibus & optimatibus populi, ducibus, principibus satrapis & magistratibus, insuper & magis atq; incantatoribus, artificibus & omnis artis inventoribus ac doctores, Logareus rex cogitabat solennitatem illam in Themoria, velut quondam Nabuchodonosor in Babylonia cū canticis & citharis, sistris & lyris, & omnis generis carminibus celebrare. Eadem ergo nocte qua sanctus Patricius sacrum Pascha illic celebrare decevit, contigit etiam à praedicto Rege, cum omnium gentiliū congregatione, quam praefati sumus solennitatem celebrari. Erat tunc quidam mos apud gentiles illos per edictum Regis omnibus annis imperatus, ut quicumq; in cunctis regionibus sive procul sive juxta, nulla nocte incendiisset ignem, antequam in domo regia, id est in palatio Themoria succenderetur, periret anima illa de populo suo. Sanctus verò Patricius divinum Pascha celebrans, accendit factum ignem antequam in domo Regis, valde lucidū & benedictum, qui in nocte resurgens, à cunctis penè per planicie campi habitantibus visus est. Accidit etiam ut in Themoria civitate videretur: quem videns Rex & omnes qui cū eo erant, admirati sunt, convocatisq; senioribus & majoribus natu, rectoribus quoq; nec non & magis ad regē, dixit ad eos Rex, Quid est hoc? quis est qui hæc tanta ausus est facere in regno meo? Perat ille de populo suo. Respondentibus autē omnibus senioribus & majoribus natu Regi se nescire illum qui hæc fecerit: magi responderunt, Rex in sempiternum vive, hic ignis quem videmus, qui in hac nocte succensus est, antequam succederetur ignis in domo tua, scilicet in palatio Themoria, nisi extinctus fuerit hac nocte, non extinguetur in aeternū: insuper & omnes ignes nostræ consuetudinis superexcellerit, & ille qui incendit eum, regnum tuum dissipabit: superabit enim oēs nos & te, & homines regni tui seducet; & cedent ei omnia regna, & implebit doctrinā suā omnia loca, & regnabit in secula seculorum. His auditis conturbatus est rex Logareus valde, & omnis civitas Themoria cum eo: & respondens dixit, Non sic erit, sed ipsi nos ibimus, ut videamus exitum rei: & occidemus eos, qui faciunt tantam nefas in regno nostro. Iunctis ergo ter novem curribus, secundum responsa deorum, & callumpnis duobus magis Ligimail & Locri, in fine noctis illius perrexit de Themoria ad campum Breg. Euntes autem illis, dixerunt magi ad regem, Rex tu non ibis ad locum in quo ignis succensus est, ne forte adoraveris illū qui incendit: sed eris foris juxta locū, & vocabitur ad te ille, ut ipse te adoret, & tu ipsius domineris: nosque sermocinabimur adinvicem in conspectu tuo, ut ille vincatur à nobis. Respondens ad hæc Rex ait, Bonum invenistis consilium, sic facietis, ut locuti estis. Et pervenerunt ad praefinitum locum: descendentesq; de curribus & equis suis, non intraverunt in circuitum loci incensis, sed sederunt juxta locū. Tunc vocatus est sanctus Patricius ad Regem extra locum incensis ignis, dixeruntq; magi ad suos, Non surgamus in adventu viri istius: nam quicumque surrexit ad adventum ejus, crederet ei, & postea adorabit eum. Surgens denique S. Patricius venit ad eos, & videns multos currus & equos eorū, hunc Psalmistā versiculum non incongrue in labijs & in corde decantabat, Hi in curribus & hi in equis, nos autē in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Illi verò non surrexerunt in adventu ejus, sicut antea consiliati sunt: unus tamē à Domino instigatus, noluit obedire

dictis magorum, nomine Bereg, filius Deo, cujus reliquie nunc venerantur in civitate qua vocatur Hylans. Hic inquam surrexit & benedixit Patricio. & credidit per eū Deo æternò: incipientibus autem illis sermocinari adinvicem, unus magorum nomine Locri proceax erat in conspectu sancti Patricii: qui audens detrahere Deo æternò, & fidei Catholicae, tumuluosissimis verbis contendeat blasphemare, quæ prædicabat beatissimus Episcopus. Quem intuens torvo oculo talia promittens sanctus vir: Parce contentioni atq; blasphemiae contra Deum cœli, quia ecce ad est tempus vindictæ & judicii ejus. Et sicut quondam Petrus & Paulus contra Simonem magum dimicaverant, sic beatus Patricius episcopus cum fiducia & clamore magno oravit & dixit, Domine, qui omnia potes, & in tua potestate sunt omnia, quique missi nos hæc ad destruendos errores iniquorum, judica nunc causam tuam ab homine iniquo & doloso. Elevetur ergo nunc impius ille, qui blasphemavit nomen tuum à tua potentia, & foras projiciatur citòq; moriatur. His dictis elevatus est magus in aëria, & iterum dimissus est mortuus, & foras concilium projectum est cadaver ejus: quod videntes gentiles timerunt valde. Iratus autem Rex cum suis, cogitavit occidere B. Patriciū super hæc res: & dixit ministris suis, Injicite manus in hominem istum perdentem nos & amicos nostros. Videns ergo sanctus Patricius, quod irruerent in eum, surrexit & dixit clara voce, Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus. Quo dicto, Dei judicio statim irruerunt in seipso gentiles, & commotio quædam horribilis facta est inter eos: & expugnaverunt impij semetipsos, alter adversus alterum intragens: & terra motus factus est magnus. Ita ut præcipitarent se currus & equi per planicie campi maximi, & vix pauci ex omnibus morrem evaderent. Denique prostrati sunt ibidem coram Rege septies septem viri. Porro ipse Rex cum septem tantum hominibus remansit illaesus, uxore videlicet sua & duobus Regibus, nec non & quatuor viris. Veniens ergo Regina ad S. Patricium dixit, Homo iustus & potens, noli perdere Regem. Nam ipse veniens ad te, flectet genua sua, & adorabit Deum tuum. Hæc ea dicente, supervenit Rex timore coactus, & flectens genua coram sancto Patricio, finxit se adorare quem nolebat. Et postquam separaverunt se abinvicem paululum iter gradientes, vocavit Rex sanctum Patricium simulato verbo, volens interficere eum. Sciens autem S. Patricius cogitationes Regis pessimi, benedixit ac consignavit in nomine Domini factis suis, vii, videlicet viris & puero, venit ad Regem: numeravitq; eos Rex ad se venientes cū iniqua & pessima ira, volens occidere omnes. Statim ergo non comparuerunt, sed sublati sunt ab oculis Regis, & pro eorum personis viderunt gentiles, qui parati erant ad interficiendum eos, vii, cervos cum hinnulo euntes, & quasi ad desertum tendentes. Rex verò Logareus mæstus tumidusq; & ignominiosè confusus, cū paucis qui mortē evaserant, ad Themoriā reversus est. Sequenti etiā die sua solennitatis, hoc est in die sancto Pascha, nostræ summæ festivitatis, recumbentibus simul Regibus & Principibus, & magis totius Hyberniæ apud Logarenum regem, festus enim dies maxime ab eis tunc agebatur Themoria, manducantibusq; illis & bibentibus vinum cum jucunditate, tum pro festivitatis regis, tū quia mortē evaserant perendie, sermocinantibus aliis, & aliis cogitantibus de his quæ facta fuerant à S. Patricio, repente inter omnes ipse sanctissimus Pontifex cum duobus tantum viris, ut contenderet de fide sancta, & verbum Dei prædicaret in Themoria coram omnibus nationibus, Hyberniarum: tunc illi collectis, ostijs clausis, secundum hoc quod de Christo legitur, apparuit. Eo igitur intrante cenaculum Themoria nemo de omnibus ad adventū ejus surrexit, præter unū, hoc est Dugat poetam optimum, apud quē tunc temporis erat quidā adolescens poeta, nomine Pheg, qui postea mirabilis Episcopus factus est in Themoria, cujus reliquie nūc venerantur ibidē. Hic videlicet Dugat solis exigitibus illo die ob honorem S. Patricij surrexit: unde & benedixit ei vir Domini Patricius, crediditque Deo primus in illo die, & reputatum est ei ad justitiam. Vocatus est autem sanctus



Patricius a gentibus ad vescendum cum eis, ut probarent eum in futuris rebus. At ille per spiritum intelligens quæ ventura essent, non renuit ire cum illis. Cenantibus ergo omnibus, prædictus magus Legitimus, qui fuerat in nocturna confustatione quam prædiximus, sollicitus erat, extincto socio suo configere adversus sanctum Patricium: qui tamen ut initium causæ haberet, intuentibus aliis immisit aliquid de vase suo in poculum viri Dei, ut probaret quid faceret. Videns verò sanctus Patricius hoc genus probationis, oravit ad Dominum, & videntibus cunctis, benedixit poculum suum, versusque est liquor in gelu, & converso vase, cecidit guttula illa, quam imiserat magus: tunc iterum benedixit poculum, conversusque est liquor in naturam suam, & mirati sunt universi. Frustratus in hoc ausu magus ille, vertitur ad alia dicens, Faciamus signa in campo isto. Respondens S. Patricius dixit, Quæ? Ego, inquit magus, inducam nivem super terram videntibus cunctis. S. Patricius dixit, Noli contraria voluntati Dei inducere. Magus dixit, Ego inducam ut dixi. Tunc invocatione magica nivem induxit super totum illud campum, quæ intuentes omnes admirati sunt. Sanctus autem Patricius dixit ad magum, Ecce vidimus ea quæ fecisti, fac ergo nunc, ut amoveatur nix quæ induxisti. Dicit ei magus, Ante hanc horam crastinam non possum amovere nivem istam. S. Patricius dixit, Ut video malum potes facere, & non bonum: ego autem non sic. Tunc benedecente eo per circuitum totum campum, dicto citius absque ulla pluvia, aut nebulis aut vento evanuit nix: quo viso exclamaverunt turbæ, & mirati valde, compuncti sunt corde. Paulò post invocatis demonibus, induxit magus densissimas tenebras super terram, & murmuraverunt omnes. At autem S. Patricius ad magum, Expelle tenebras. Quod cum ille nullatenus facere potuisset, sanctus Patricius oravit ad Dominum, & factò signo crucis, pulsæ sunt tenebræ, & resulsit sol: & exclamaverunt omnes, & gratias egerunt, quod a tenebris densissimis liberati sunt. His ergo omnibus in conspectu Regis mirabiliter gestis inter magum & Patricium, ait ad eos Rex, Libres vestros in aquam mittite, & illum cuius libri illi evaserint, adorabimus. Respondit S. Patricius, Paratus sum ego hoc facere. Respondit magus, & dixit ad Regem, Nolo ad iudiciū aquæ cum ipso ire: aqua enim Deum habet. Audierat enim baptisma à Patricio per aquam datum esse, & ideo timuit aquam, ne forte incidere in baptismum. Tunc ait Rex, Mittite in ignem. S. Patricius dixit, Promptus sum. Nec hoc quidem volens, magus dixit, Hic homo versa vice in alternos animos agitur, nunc aqua nunc ignem veneratur. S. Patricius dixit, Non sic erit ut tu vis: sed ibis in igne, & unus ex pueris meis ibit tecum in separatam & clausam domum, & meum apud te, & tuum apud meum puerum erit vestimentum, sicque simul incendemini, & iudicabimur in conspectu altissimi. His verbis viri Dei consensit magus, & ædificata est eis domus dimidia ex materia viridi, & dimidia ex arida: missusque est magus in partem domus viridem cum calula Patricii, & unus ex pueris Patricii, Beneneus nomine, cum veste magica in partem domus aridam. Conclusa itaque domo extrinsecus, coram omni turba incensa est ex omni parte, oranteque beato Patricio, factum est eadem hora, ut consumeretur flamma ignis magum cum viridi parte domus, Patricii calula permanente intacta. Beneneum autem cum arida parte domus, secundum quod de tribus pueris dictum est, non tetigit ignis, neque contristavit, nec quicquam molestia intulit vestimento magi quod circa eum fuerat, non sine Dei nutu exulto. Iratus est itaque Rex valde adversus Patricium de morte magi sui, & voluit eum occidere: sed prohibuit illi Deus. Ad precem denique Patricii descendit ira Dei in populum impium, & perierunt multi ex eis. Ait ergo S. Patricius ad Regem, Nisi jam hunc credideris, morieris, quia descendet ira Dei in verticem tuum: tunc extimuit Rex vehementer, & omnis civitas cum eo congregatisque senioribus & omni populo, dixit ad eos Rex, Melius est enim mihi credere, quam mori. Consilio igitur inito cum optimatibus suis, conversus est Rex ad Dominum Deum æternum, & alii multi crediderunt eodè die. Et ait sanctus Patricius ad Regem, Quia restitisti

doctrinæ meæ, & fuisti scandalum mihi, licet prolongentur dies regni tui, nullus tamen erit ex semine tuo Rex in æternum post te. His ita gestis, S. Patricius secundum præceptum Domini nostri Jesu Christi, docere disponens omnes gentes baptizandas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, profectus est à Thernoria, & prædicavit ubique in Hybernia, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

## DE MIRACULIS ET TRANSITU S. PATRICII,

LIBER II.



DOMINI & Apostolici viri, patris nostri Patricii, cuius laborum & itinerum mentionem fecimus in priori libello, nunc miraculorum & transitus eius seriem, prout possumus, enarrare proponentes, opusculum parvulum Deo adjuvante aggrediamur contexere: in cuius initio quoddam miraculum, quod ei & Stephano puero contigit legitur, brevi relatu retexam. Quodam tempore cum orationis causa ad locum solitum per nocturna spatia comite prædicto puero pergeret, vidit magnum in celo miraculum, suumque charissimum ac fidele probare volens sanctum puerum dixit, Fili mi dilectissime, dic mihi quævis, si sentis aut vides ea quæ ego sentio & video. Tunc prædictus puer Stephanus, qui & Bagnus, incunctanter dixit, Jam pater charissime, de tuis meritis præsumenti ex Domini gratia cognita sunt mihi ea quæ sentis & vides. Nam video celum apertum, & filium Dei in maiestate residentem, & Angelos ejus coram eo. Tunc sanctus Patricius dixit, Jam te fili meum successorem dignum esse sentio futurum. Nec mora, gradu concito, ad consuetum locum orationis pervenerunt. His verò in oratione in medio fluminis alveo constitutis puer dixit, Pater adjuva me, nam algore aquaticum sustinere non possum: erat enim illa aqua nimis frigida. Dicit ei Patricius, Descende fili charissime de superiori loco ad inferiorem: & nihilominus ille ibi diu præstare non potuit; nam aquam nimis calidam se sentire testabatur. Tunc ille non sustinens in eo loco diu stare puerum, exivit de aqua cum eo super terram. Fuit homo quidam dives & honorabilis in regionibus orientaliis, cui nomen erat Daire: quem rogans sanctus Patricius petiit ab eo, ut aliquem locum daret ei, ubi monasterium construere, & sanctæ conversationis religiose vivitibus mansionem præpararet. Respondit dives ille, dicens ad sanctum Patricium, Ecce terra coram te est, dic ergo mihi, quem locum desideres ad inhabitandum? Peto, inquit sanctus Patricius, ut illam altitudinem terræ, quæ nominatur Saileg, dones mihi ad inhabitandum, ut construam ibi locum ad cultum divinum. At ille noluit dare sancto viro terram altam quam petierat, sed dedit illi locum alium in inferiori terra: & habitavit ibi sanctus Patricius cum suis. Post aliquot dies venit eques Dairi, divitis præfati, ducens equum domini sui satis optimum, ut pasceret in heroso loco Christianorum: & offendit Patricium talis depastio equi in loco suo, dixitque, Stulte fecit Daire, mittens bruta animalia turbare locum parvum, quem obtulit Deo. At verò eques non attendit verba illa, sed dimisso ibi equo nocte illa, discessit: crastina verò die veniens videre equum, invenit eum jam mortuum: reversusque ad dominum suum cum festinatione dixit ei, Ecce Christianus ille occidit equum tuum, offendit enim illum turbatio loci sui. Et dixit Daire servis suis, Dignum est morte homo iste, qui reddidit nobis malum pro bono: ite ergo occidite eum. Euntibus verò servis ad interficiendum eum, dicto citius repentina mors irruit super Daire: dixitque uxoria, Causa Christiani est hæc mors. Eat quis citò, & portentur ei beneficia nostra, & revocentur qui exierunt occidere eum. Exeuntes ergo duo viri ad sanctum Patricium, dixerunt ei, Ecce infirmatur Daire: portentur illi aliquid a



te, si forte sanari possit. Sanctus autem Patricius sciens quæ facta sunt, benedixit aquam, & dedit eis, dicens, Ite aspergite Dominum vestrum, & equum ejus hac aqua. Et fecerunt sicut præcepit eis sanctus vir, sanatusque est Daire, & revixit equus asperione aquæ sanctæ. Venit ergo Daire ut honoraret sanctum Patricium, portans secum aneum cyphum mirabilem ac pretiosum, capientem metretas ternas: dixitque Daire ad sanctum Patricium, Ecce hic aneus sit tecum ob memoriam meam. Et ait ei sanctus Patricius, Grazagam. Reversus autem Daire domum, dixit ad suos, Scultus est homo, qui nihil aliud mihi respondit, cum darem ei aneum vas preciosum, præter solum verbum Grazagam. Addiditque Daire dicens militibus suis, Ite reportate nobis aneum nostrum, quia ingratus accepit eum homo ille: venerunt itaque ministri Dairi, & dixerunt Patricio, Misit nos dominus noster, ut reportemus ei aneum suum, quia ingratus accepisti eum. Et illa vice sanctus Patricius nihil aliud dixit, præter Grazagam. Reportantibus autem illis, interrogavit Daire servos suos, dicens, Quid dixit Christianus ille, quando reportastis aneum? At illi dixerunt, Grazagam. Et ille respondens dixit, Mirabilis est homo ille, qui nihil aliud dixit, quam Grazagam in dato, Grazagam in ablato, ut video bonum est ejus dictum Grazaga & non malum. Reportetur ergo illi rursum aneum vas. Et remisit illi rursum cyphum argenteum, dicens ei, Sit tecum aneus tuus: constans enim & incommutabilis homo es, & verbum bonum, non malum proferis. Insuper & partem illam agri, quam olim percussit tibi nunc, quam meliorem habeo, ut inhabitares eam. Accepit ergo ab eo sanctus Patricius prædium optatum & placitum sibi, & edificavit in eo monasteria, & habitaciones religiosorum virorum. In quo loco nunc civitas est Arithmache nominata, ubi sedes Episcopatus & regiminis est Hyberniæ. Et exierunt ambo, sanctus Patricius Episcopus & Daire, ut considerarent prædium illud optabile videlicet & beneplacitum oblationis munus. Ascendentes igitur altitudinem terræ, quam considerate venerant, invenerunt ibi cervam cum suo hinnulo, jacentem in loco, in quo nunc est altare sinistralis Ecclesiæ in Arithmache. Videntes autem comites beati Patricii cervam & hinnulum, voluerunt tenere & occidere: sed sanctus Patricius prohibuit eos, & comprehendens vitulum, portavit eum in alterum saltum densissimi nemoris, sequente cervam velut ovem micillam ac mansuetissimam, ubi usque hodie signa ejus & virtutes monstrantur. Erat homo quidam in regionibus Ultonum, temporibus B. Patricii Episcopi, Macfil nomine: hic homo erat valde impius, verbis intemperatus, ac spiritu malignus, mentemque crudelis, ita ut quotidie in montuoso asperoque loco sedens, tyrannidem suam exerceret, & transeuntes peregrinos crudeliter interficeret. Is ergo cum sanctum Patricium claro fidei lumine radiantem, & miro quodam celestis gloriæ diademate fulgentem videret, furtive prope se transeuntem cum inconcussa doctrina fiducia, cogitabat eum interficere dicens, Ecce seductor ille & perversor hominum venit, cui mos est facere præligia, ut decipiat homines, multosque seducat: eamus & tenemus eum, ut sciamus si aliquam habet potestatem ille Deus, in quo se signa facere gloriatur. Tentaverunt itaque S. Patricium hoc modo: posuerunt quendam ex suis animum in medio eorum sub sago, infirmitate mortis simulantem, ut præbarent hominibus Dei in hujusmodi fallacia. Adveniente verò S. Patricio cum discipulis suis, prædictus ille tyrannus & alii gentiles qui cum eo erant, dixerunt ad eum, Ecce unus ex nobis infirmatur, accede & canta super eum aliquas incantaciones sanctæ tuæ, si forte sanari possit. Sanctus verò Patricius sciens dolos omnes & fallacias eorum, constanter & intrepide ait, Non est mihi si infirmus est, quia jam moritur. Quo dicto facti relevantes faciem ejus, qui simulaverat infirmitatem: jam eum mortuum invenerunt: & obstupefactos admittentesque tale miraculum, dixerunt inter se gementes. Verè Dei homo est iste, male fecimus tentantes eum. Sanctus autem Patricius conversus ad Macfil ait, Quæ me tentare voluistis? Respondens ille crudelis tyrannus ait, Pœnitete domine facti hujus, & quodcumque mihi præceperis, faciam, trahens me nunc in pœnitentiam Dei tui. Sanctus Patricius ait, Confitere primum peccata tua, & credens Domino meo Jesu Christo baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Conversus igitur eadem hora Macfil, baptizatus est, & egressus de lavacro regenerationis, dixit ad hominem Dei, Confiteor tibi domine mi Patrici, quod proposui interficere te: judica ergo quantum debeam puniri pro tanto crimine, dicit ei sanctus Patricius, Non ego, sed Deus judicabit: atramentum si consilium meum habere volueris, egredere nunc inermis ad mare, & transi velociter de regione hac Hyberniæ, nihil tollens tecum de omni substantia tua præter vile & parvum vestimentum, quo possit corpus tuum ferreo, & projice comedens aut bibens de fructibus hujus insulæ, abiensque signa peccata tua in capite tuo: & postquam perveneris ad mare, colliga pedes tuos compede ferreo, & projice compedis clavem in mare, immitteque te in navem unius pellicis absque gubernaculo, & quocumque te duxerit ventus, esto paratus ire ad terram, in quam te deserat divina providentia, ut exerceas ibi divina mandata. Respondens autem Macfil, cum lachrymis ait ad beatum Episcopum Patricium, Faciam domine sicut præcipis, verum tamen rogo ut ores pro me, ut suscipiat Deus pœnitentiam meam. Sed de viro hoc mortuo quid facies? Dicit ei beatus Patricius, Noli timere, quia resurget sine dolore. Et statim suscitavit eum Patricius Episcopus, revixitque sanus, & lætificatus sunt omnes. Tunc migravit Macfil secundum verbum sancti Patricii ad mare, habens fiduciam magnam in Domino, colligabatque se in littore, projiciens clavem vinculorum suorum in mare, sicut iustus fuerat. Cumque esset super mare in navi pellicæ, aspirante aquilone, projectus est in insulam Evoniam nomine: quo cum divino gubernaculo pervenisset, invenit ibi duos viros mirabiles valde in fide & doctrina fulgentes, qui primi docuerunt verbum Dei, & baptismum in Evonia, & per eos conversi sunt homines insulæ ad catholicam fidem. Sancti ergo predicatoris Christi, quos præfatus sumus, quorum nomina sunt Conindrus & Romulus, cum viderent virum hujus habitus, mirati ac miseri ejus elevarunt eum de mari, suscipientes pœnitentiam illius cum gaudio. Igitur Macfil ubi susceptus est ab eis, ad regulam eorum corpus & animam suam exercitavit, & totum vitam tempus apud istos duos sanctos Episcopos exegit, usque dum successores eorum in eodem episcopatu Deo cooperante fieri promeruit. Hic est Macfil episcopus clarus ac sanctus, postmodum effectus in Evonienium civitate, cujus nos adjuvent sancta suffragia. Quadam verò die requiescens sanctus Patricius supra mare, juxta saliginem, quæ est ad aquilonarem plagam: venit ad eum locum, qui Collumini bovis nuncupatur, distantem a mari non magno spatio, audivique sonitum intemperatum gentilium, in die Dominica agricultura laborantium: quos convocans ad se Patricius prohibuit ne laborarent in die Dominica. At illi non consentientes verbis sancti Pontificis, deridebant eum. Et ait sanctus Patricius ad eos, Modebroth: quod interpretatur, Quod laboratis, non proderit vobis: hoc statim vobis completum est. In sequenti enim nocte ventus validus à Deo missus, turbavit mare, ita ut ebulliret, & omnes agros pertranstret, & ita omne opus gentilium tempestas maris secundum verbum viri Dei destruxit. Venit aliquando S. Patricius episcopus per alveum fluminis Synone, per vastum cantum avium fecedens in campum Hair. Audientes autem duo magi regis Themoriæ filii, scilicet Nel, Caplis & Caplid nuncupati, qui nutrierant duas filias Logareni regis, Athne albam, & Fethleni rufam, omnia quæ facta sunt Regi, & magis cunctisque qui in campo Themoriæ à S. Patricio ceciderunt, indignati sunt valde, & timentes ne præfata filia Regis quas nutrierant, mores Christianorum acciperent induxerunt densissimas tenebras, & noctuales caligines super totum campum Hair tuis magicis artibus, nescio cujus potestatis permissione: sed notum est omnibus Hyberniarum populis, quia nox illa triduo duravit & tot noctium erat, tunc S. Patricius videns malitiam illorum, arripuit arma spiri-

talia,



talia, id est, jejunium, vigiliis, & orationes, & tribus noctibus cum centenis veniis, ac precibus assiduis perdurans, Deum regum rogabat, ut discuteret omnem gravitatem magicam caliginis a campo Hair. Exaudivit Dominus preces B. Patricii, & discussit omnes tenebras illas, refultaque sol super terram, & laterati sunt homines gentis illius. Hoc cum vidisset B. Patricius, gratias egit Deo: deinde sanctissimus Episcopus Patricius venit ad fontem, qui dicitur Debach, in lateribus Crochon contra ortum solis, cum tribus Episcopis & multis clericis, ut haberent concilium de ecclesiasticis rebus, & sederunt juxta fontem. Et ecce duæ filiae, quas praxidimus Logareni regis, Æthne alba, & Fethlem rufa, ad fontem illum more mulierum, manè ad lavandum venerunt, & sanctam synodum Episcoporum, cum Patricio juxta fontem invenerunt: sed undè essent, aut de qua parte vel regione, non cognoverunt, & stimantes eos deorum terrenorum sacerdotes, aut phanasiam esse. Quapropter interrogaverunt eos dicentes: Unde estis, & undè venistis? S. Patricius respondit: Melius erat vos Deo nostro confiteri, quam de gente nostro interrogare. Prima filia dixit: quis est Deus, & ubi est Deus, & cujus est Deus, & ubi est habitaculum ejus? si habet filios & filias, aurum & argentum, si vivit semper, si pulcher: si filium ejus nutriunt multi, si filiae ejus claræ & pulchriores sunt hominibus modò: si in caelo est, an in terra, in æquore, in fluminibus, in montibus, in convalliis, edicite nobis. Quomodo videbitur, quomodo invenitur, in juventute an in senectute? Respondens ad hæc S. Patricius, plenus Spiritu sancto dixit: Deus noster, Deus omnium hominum, Deus caeli & terræ, maris & fluminum, Deus solis & lunæ, omniumque siderum, Deus est montium sublimium, valliumque humilium, Deus super caelos & in caelis, & sub caelo habet habitaculum. Ergo caelum, & mare, & omnia quæ in eis sunt, inspirat, omnia vivificat, regit omnia, gubernat omnia: solis lumen illuminat, lumen noctis splendore suo perlustrat, fontes fecit in arida terra, & insulas siccas in mari, & stellæ in ministrum omnium hominum posuit: coæternum etiam consulemque libi genuit filium, qui tamen filius non minor est Patre, nec Pater Filio senior, & Spiritus sanctus spirat in eis: nec ab invicem separantur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quomodo hæc tres personæ, unus & verus Deus est: quem & ego fudicialiter annuntio vobis, hortans & obsecrans, ut ad noticiam nominis ejus fideliter accedatis. Respondereunt amæ filiae Regis, quasi ex uno ore dicentes: Doce nos diligentius, quomodo ad noticiam nominis ejus pertinent, verum Deum habere possimus, vel qualiter credere debeamus in eum, & quicquid dixeris nobis, faciamus. S. Patricius dixit: Creditis in Deum post patris & matris peccatum? Respondereunt: Credimus. Creditis, ait, vitam post mortem? Responderunt: Credimus. Creditis resurrectionem in die judicii? Responderunt: Credimus. Creditis unitatem sanctæ Ecclesiæ? Responderunt: Credimus. Tunc baptizavit eas S. Patricius, & induit eas vestes albæ & candidæ. Quæ cum essent baptizata, postulaverunt videre faciem Christi. Et dixit eis S. Patricius Episcopus: Nisi gustaveritis de corpore & sanguine Christi, & nisi mortem corporis senseritis, non poteritis Christum videre in gloria sua. Dixerunt: Da nobis sacrificium corporis & sanguinis, ut solvamur à corruptione carnis, & videamus sponsum nostrum qui in caelis est. Tunc Missam celebrante S. Patricio, communicaverunt filiae Regis cum spe magna & fide perfecta: & cum communicassent, statim requieverunt in pace. Posita sunt autem corpora earum in lectulo uno, uno vestimento cooperta: feceruntque plantam magnam amici earum. Venit ergo magnus Caplid, qui nutrierat primam filiam Regis: cui cum prædicaret S. Patricius verbum Dei, credidit ipse Domino nostro Jesu Christo, & capilli capitis ejus ablati sunt à sancto Episcopo, in testimonium prioris infidelitatis illius. Frater etiam ejus Caplis, qui filiam alteram nutrierat, venit & dixit: Ecce frater meus Caplid credidit Patricio, sed de me ita non erit: nam ego faciam eum reverti ad gentilium, Et conversus ad Patricium protulit verba dura &

blasphema adversus eum: sanctus autem Patricius patienter pertulit blasphemiam ab eo illatam, prædicavitque etiam ei verba salutis & vitæ, & convertit illum in poenitentiam & compunctionem cordis. Tunc jubente S. Patricio ablati sunt capilli capitis ejus, id est, norma magica, quæ prius in capite illius videbatur. Completi sunt itaque dies luctus filiarum Regis, & sepulta sunt juxta fontem Clebach, feceruntque eis fossam rotundam in similitudinem petre incisæ: quæ fossa consecrata est à S. Patricio cum sanctarum virginum ossibus, & celebrata est earum memoria ab eodem sancto viro, & ab hæredibus ejus Episcopis post se in secula: nam ecclesiam virginum construxit in eodem loco. Post hæc perrexit Patricius Episcopus ad montem Croconegli, ut jejunaret in illo quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Mosaicam tenens disciplinam, & Heliacam atque Christianam. Ibi cum roretur auriga illius, sepelire eum in loco qui dicitur Croconegli: congregavitque lapides contra sepulchrum ejus, & dixit: Hic anima requiescet, & visitabitur à me in novissimis diebus. Tunc ascendit Patricius ad cacumina montis Croconegli, & multitudo avium venit circa illum, ita ut non posset videre faciem caeli, & terræ, & maris, propter aves. Manse ergo S. Patricius in monte quadraginta diebus orans, & responsa divina frequenter accipiens. Exinde facta est consuetudo omnibus sanctis Hybernorum, ut ascenderent super eundem montem, dicente ad eos Domino: Ascendite ad sancti mei super montem hunc, qui imminet caelo, & altior est omnibus montibus, qui sunt ad Occidentem, ad benedicendos Hybernæ populorum. Ut ergo videret S. Patricius fructum laboris sui, ascendit in montem hunc, & chorus seniorum omnium Hybernorum venit ad eum, quasi ad patrem eorum charissimum visitandum. Hæc sunt tres petitiones S. Patricii, quas petiit à Domino Deo caeli in monte Croconegli. Prima est, ut unusquisque fidelis homo Hybernorum, per poenitentiam & confessionem Deo satisfaciens, licet in extremo vitæ suæ spatio, ab ipso elementet suscipiatur. Secunda est, ne barbari irruptionem in eos facientes, dominentur in sempiternam illis. Tertia est, ne aliquis Hybernorum supervivatur in hac vita usque in diem judicii. Post hæc venit S. Patricius per campos regionis ad locum qui Dichil appellatur, & sepulchrum magnum miræ magnitudinis, immensæque longitudinis invenit in eodem loco: quod cum vidissent socii ac discipuli qui erant cum eo, mirabantur nimis, atque stupebant, metientes in longitudine sepulchrum illius pedes quasi xxx. dixerunt: que ad B. Patricium: Non credimus hominem aliquem hujus longitudinis exiisse. Respondit eis S. Patricius, dicens: Si volueritis, videbitis illum. Et dixerunt: Maxime ac libentissimè volumus. Tunc S. Patricius percussit lapidem sepulchri baculo suo, juxta caput scilicet hominis sepulchri: signavitque sepulchrum signaculo Crucis, & dixit: Aperi Domine sepulchrum viri hujus: & statim divina virtute apertum est, & ecce vir magnus surrexit sanus, dixitque ad B. Patricium: Bene sit tibi, o vir bone & sancte, quod suscitasti me, ut unâ horâ requiescam à laboribus & pœnis meis. Hæc dicens flevit amarissimè, & dixit: Si ambulabo vobiscum? Respondit ei S. Patricius, & dixit: Non poteris ambulare nobiscum, quia non possunt homines videre faciem tuam propter timorem tui: sed potius crede Deo caeli, & baptismum Domini accipe, & sic revertaris in locum ubi sepultus eras: indica tamen prius nobis, cujus civis antea fueris. Et dixit: Ego sum mactaicais macticais: quod potest dici, ego sum maximus virorum insularum, qui fui Porcarius Ricrote Regis: & jugulavit me dormientem femmaic magus in anno chorbri nuotfer, qui est annus centesimus usque hodie. His dictis baptizatus est à B. Patricio, factâ confessione, dictoque symbolo fidei, ac dominicâ oratione, prædicente sancto Episcopo, atque mergente eum in aqua profundissimâ, in nomine sanctæ Trinitatis. Cumque fuisset baptizatus, læto animo intravit sepulchrum suum & requievit in pace. Venit iterum S. Patricius in alium campum



in regionibus maritimis, & insulis Hyberniæ, invenitque in eo loco signaculum crucis Christi juxta duo sepulchra nova infixum, & de curru suo proclamans dixit: Quis est sepultus hic? Respondit ei vox de sepulchro dicens: Ego sum gentilis homo, & paganus. Cur, inquit, juxta te crux Christi infixa est? Et iterum respondit ei vox de sepulchro: Quia, inquit, vir qui sepultus juxta me est, Christianus fuit, rogavitque mater ejus ut hoc signum crucis poneretur juxta sepulchrum filii sui: sed vir quidam fatuus & insensatus posuit illud juxta me. Quod audiens Patricius, exilivit de curru suo, auferensque crucem de gentilibus cumulo, infixit eam sepulchro baptizati: ascenditque iterum super curru suum, & recessit: orans Deum pro anima baptizati: & decantans aperte dominicam orationem, cum dixisset: Libera nos à malo, interrogavit illum auriga illius, & dixit: Quare non suscitasti & istum hominem paganum, ut per baptismum posset salvari? & quare iste non sicut prior per baptismum poterat salvari? Et non respondit ei Patricius. Pato enim ideò reliquit illum non suscitatum & non baptizatum, quia Deus illum salvare noluit, sicut priorem. Cum aliquando venisset S. Patricius in regiones filiorum Amalgit, congregata est multitudo magorum. Ad primum magum Recraidum nomine, rogantes ut ulcisceretur se de inimico deorum suorum: at ille statim surgens ambulavit cum illis, habens erga se attem magicam scriptam in vestimentis suis albis. Cumque vidissent eos venientes ad se Patricius & Endeus filius Amalgit, & Conallas filius Endei, dum jam baptizaret Patricius multitudinem barbarorum, arripere arma sua Endeus & filius ejus, ut repellerent magos à S. Patricio: vir autem Domini Patricius elevavit manum suam sinistram in celum, & maledixit Recraidum præfatum principem magorum. Qui statim morte præventus, cecidit in medio magorum, qui venerant eum, & exustus est ante faciem omnium eorum, & in signum vindictæ Dei terra deglutivit eum: quo viso ceteri dispersi sunt per totum campum Damnon, & terribi sunt vehementer à facie Dei celi. Quodam tempore cum tota Britannia incredulitatis algore riguisset, & pauci essent qui fidei femina perfecto corde suscipere vellent, B. Patricius flevit ad Dominum, & dixit: Domine Deus tolle me, quia frustra prædico verbum tuum. Nolunt enim per me credere homines isti. Cui respondit Dominus: Noli turbari Patrici, quia ego novi quos elegerim. Non enim per te, sed per me credere habent: sed labor tuus non erit inanis. Craftinâ enim die audies filiam Regis virginem, sine omni prædicatione perfectam in me credere: quam tu cum baptizaveris, mitte ad me, & ita factum est. Qujusdam enim Regis filia egregiâ facie, & perfectâ virtute, cui nomen tum erat Muneria, Spiritus sancti subito repleta est gratiâ: cujus multi nobiles ac divites expetierunt amplexus conjugales, & non adquevit eis, licet adhuc non esset baptizata, nec fide imbuta. Nam ad id quod volebat, à parentibus compelli non poterat: quæ videlicet cum inter verbera & crebras increpationes interrogaret matrem & nutricem, si compertum haberent rotæ factorem, cujus luce mundus illuminaretur: & cum responsum ab eis acciperet, solis factorem esse eum, cui celum sedes est, rogavit ut illi copularetur conjugali vinculo, qui tam decorum lumen possideret in celo. Intellexit liquidem virgo præfata per naturam totius creaturæ factorem, in hoc Patriarchæ Abrahamæ secuta exemplum: parentes autem ejus quid agerent, quo se verterent, nesciebant. Tandem inito consilio à Deo sibi tradito, S. Patricium accersiri fecerunt, ut super hac causa consulerent illum. At ille per Spiritum sanctum edoctus omnia, statim ad præfatam virginem accessit, & elevatâ voce dixit ad eam: Si credis in Deum ex toto corde tuo? Puella respondit: Credo. Tum vir Domini Patricius sacro lavacro Spiritus & aquæ regeneravit eam. Nec mora, solo prostrata, spiritum tradidit in manus Angelorum: & ubi moritur, ibi & sepelitur. In ipso quoque loco cellulam postmodum futuram esse S. Patricius prædixit, in qua virgines Deo famulaturæ congregari deberent, quod & factum est, non longè ab il-

lo tempore: nam ejusdem sanctæ virginis memoria colitur in eodem loco usque in præsentem diem. Iterum mirabile quoddam gestum S. Patricii non transibo. Nuntiatum est ei aliquando nequissimum opus ejusdem Britannici Regis, nomine Chairric, inausulti crudelisque tyranni, qui erat maximus persecutor & interfector Christianorum. Sanctus igitur Patricius per epistolam suam ad viam veritatis eum revocare tentavit, sed ille salutaria ejus monita deridebat. Quod ubi nuntiatum est homini Dei, flexis genibus oravit, & dixit: Domine, si fieri potest, expelle perfidum hunc de præfati seculo & futuro. Nec multò post præfatus ille tyrannus Musicam artem à quodam sibi præcantari fecit, à quo audivit, quoddam citò de suo regali transiurus imperio esset: omnesque charissimi ejus in hanc ipsam vocem proruperunt. Tum ille, cum esset in medio foro, illud vulpeculæ miserabiliter atreptâ formâ profectus est in præsentia suorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die illaque hora velut à diabolo raptus, nusquam comparuit. Virum aliquem valde durum & avarum in campo Hanyr habitantem, in tantum stultitiæ avaritiæque incurrisse crimen periri ferunt, ut duos boves à carro Patricii auferret violentem, & ad suum usum transferret: cui irascens S. Patricius, cum maledictione dixit: Maledicor. Quod potest intelligi: Male fecisti, nunquam proficere tibi, sed ager hircus neque tibi, neque semini tuo in æternum unquam utilis erit, & factum est ita. Inundatio enim tam abunda maris eodem die circumvit atque perfudit ejusdem viri agrum, ut nunquam amodò faceret fructum: posteaque est juxta Prophetæ verbum, terra fructifera in saliginem, à malitia inhabitantium in ea. Arenosa ergo & infructifera eadem terra facta est à die, qua maledixit eam sanctus Patricius usque in hodiernum diem. De diligentia orationis ejus pauca de multis, qua enarrare possumus, scribere conabimur. Omnes psalmos, & hymnos, & Apocalypsin Joannis, & omnia cantica spiritualia Scripturarum quotidie decantabat, sive in uno loco manens, aut in itinere pergens. Per trophæum quoque dominicæ crucis in omni hora diei noctique centies se signabat, & ad omnes cruces quasunque vidisset, dum aliquod iter perageret, orationis gratiâ se inclinabat: & interdum de curru descendens in terram se prostravit, manoque tangens crucem, signum ejus sibi impresse. Consuetudo illi erat, ut à vespera dominicæ noctis usque ad mane secunda feria propter honorem sacri diei nullum omnino iter perageret. Accidit ergo quodam die dominico, ut dum pro reverentia sancti diei pernoctaret in campo, gravis pluvia cum tempestate subito instaret, per cujus inundationem dum tota illa provincia depopulata esset, in loco ubi S. Patricius manebat, siccitas erat. Tunc eadem nocte auriga ejus murmurare cepit, equos amissos, & eos quasi amicos charos plangit, quia illos quærere tenebris arcentibus visum non poterat. Unde pietas B. Patricii permota est, & flebili voce aurigæ dixit: Deus in angustis & tribulationibus opportunus adjutor est, ipse promptus adjutorium tibi præstabit, & citius equos amissos invenies. His dictis manum de manica extulit, & quinque digitis ejus, sicut tot luminaribus noctis tenebras illuminavit, ita ut non tantum proxima, sed & longinqua atque remota omnia regionis illius illuminarentur loca. Tunc auriga lætus effectus de luce concessa, equos amissos invenit, & Deo gratias retulit: quod miraculum eidem sancti Patricii individuus comes, simul & auriga, usque ad obitum Patricii silentio abscondit. Appropinquante die mortis beatissimi Patricii nostri Patricii, venit ad eum Angelus Domini, qui antè sexagesimam apparuerat, & dixit ei de morte sua, & de exequiis ejus, ac de aliis secretis Dei: ille verò ad Arthmache voluit ire, ut ibi moreretur, atque sepeliretur, veneruntque ad eum viri familiares ejus, & amici nominis Christi ad deducendum eum quocunque vellet: cumque ab Arthmache cepisset ire cum multis sociis se comitantibus, ecce juxta viam rubus quidam apparuit ardens, & tamen non comburebatur, sicut quondam Moysi apparuit Dominus in igne rubi,



Erac autem in rubo angelus ille qui eum visitare solebat: qui vocans ad se Patricium dixit illi, Quare sine Dei consilio proficisceris ad locum, quem non prælegit Dominus? Revertere ad locum unde venis, hoc est ad Sabul. Illic enim morieris, nec Arthmache adibus: unde præmonito te ut Domino Deo tuo gratias referas, quia data sunt tibi petitiones quas petisti. Prima petitio est, ut in tota Hybernia fiat à Domino salutis præstatio de meritis tuis: secunda petitio tua, ut quicumque hymnum, qui de te compositus est, in die natalis tui decantaverit, tu ejus penitentiam de peccatis suis suscipias: tertia petitio tua est, ut qui tuam memoriam benignè celebraverint, misericordiam Dei mereantur, ut pereant in futuro: quarta petitio est, ut Hybernienses omnes in die judicii à te judicentur, ut videlicet eos quibus Apostolus fuisse, iudices, sicut dictum est à Domino ad Apostolos, Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Revertere igitur sicut dixi tibi, & ingredieris viam patrum tuorum. Hæc angeli dicta post septem dies, in die scilicet XVI Kalend. Aprilis expleta sunt circa beatum Patricium, per actis totius vite ejus cxxx. duobus annis, sicut in omnibus Hyberniæ finibus celebratur. Magnum autem & inauditum miraculum tunc per totam Hyberniam factum est. Per duodecim enim dies in provincia illa, ubi mortis ejus exequia factæ sunt, nox non erat, nec pallor vesperti, neque crepusculi umbra videbatur: plebs etiam illius loci, in quo sepultus est, certissima confirmata attestazione, quod usque ad finem totius anni, in quo obierat, nunquam noctuales tenebræ tales existissent, quales antea fuerunt. Quod nimirum ad tanti viri meritum declarandum accidisse non dubium est. Siquis autem contra notis hujus claritatem contendere voluerit, & hæc eadem lucis indicia, quæ morte beati Patricii peracta sunt, fide literque ostensa miracula infideliter negare præsumpserit, diligenter attendat, qualiter Ezechia languenti in horologio sanitatis indicio demonstrato, sol per x. lineas recurrens ostensus sit, penè duplicato die: recenear etiam, quod sol contra Gabaon, & luna contra vallem Achilon stetit duplicato die sine nocte, quando Jesu Nave pugnans contra inimicos Israel delevit eos. Sed hoc miraculum per totum clarum fuit mundum, & ideo minime dubitandum: istud verò miraculum sancti Patricii, quod gestum est in ista provincia tantum, hoc à solis nobis vitium est, ut fideles animarum tantum Hyberniotum in his patris sui sanentur exemplis: nam cæteræ gentes, si minus sancti Patricii miraculum credunt, suorum Apostolorum ac prædicatorum exemplis ac miraculis credant. Igitur egrotavit sanctus Patricius, ut dictum est, 7. dies, & disposuit pacem & concordiam per omnes Ecclesias suas: appropinquante autem hora exitus sui, ab Episcopo Thalsach viaticum beatæ memoriæ accepit: & exinde post mortuos suscitatos, post populum multum ad Christum conversum, post Episcopos & presbyteros in Ecclesiis ordinatos, post totum Ecclesiasticum ordinem benè ac perfecte compositum, post ætatem annorum, ut antè dictum est, cxxxij. peractis omnibus quæ in Deum sunt, ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui eum in vestigiis suorum Apostolorum miserat, cum beatis meritis ad beatam & æterna regna felicissimè profectus est. In prima autem nocte exequiarum ejus, sancti angeli excubias vigiliarum ibidem fecerunt, hymnorum atque psalmodiarum modulationes in omnibus complentes: quicumque verò ad vigiliis primæ noctis clerici vel laici venerant, subito obdormierunt, & angelis excubantibus locum dabant: in cæteris autem noctibus homines religiosi orantes, ac psalmos canentes, sacrum corpus ex more custodiebant. Sed postquam peractis vigiliis angeli in caelos profecti sunt, odorem suavissimum quasi mellis, & fragrantiam myrrhæ dulcedinis, & quasi saporem vini juxta corpus in terra dimiserunt: ut impletur quod in Patriarchæ Jacob benedictionibus prædictum est, Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Porro ut ad superna redeamus, quando angelus ad eum venit, & de sepultura sua ei prædixit, hæc quoque inter alia subjunxit,

Beda Tom. 3.

Eligantur duo boves indomiti, & pergant quocunque voluerint, in plastro portantes corpus tuum: & ubicunque requieverint, illic Ecclesia in honorem corporisculi tui ab hominibus edificetur. Factum est ergo factum præceptum angeli, & electi sunt duo boves indomiti, & plastrum cum gestamine corporis ejus impositum est eis: & à loco qui Cloch vocatur, exierunt Deum regente, & ad eum locum ubi sepultus est sanctus Patricius, pervenerunt. Apparuit autem angelus Domini omnibus qui ad sepulturam ejus convenerant, & dixit eis, Videte ne reliquæ corporisculi hujus sanctissimi viri à terra vobis furim auferantur, & ideo profunditate unius cubiti in terra ejus corpus obruatur, quod quidem Dei jussu necessitati factum, postea demonstratum est. Nam in novissimis temporibus cum Ecclesia super corpus ejus edificaretur, homines humum fodientes, ignem de sepulchro ejus exurgere viderunt: quo timore perterriti fodere desierunt, ac recedentes ab hac intentione, majori veneratione memoriam ejus celebrare cœperunt. In tempore transitus sanctissimi patris nostri Patricii, dira quædam bellorum contentio inter orientales Britannia populos ex parte una, & inter Ultanos ex altera parte orta est de tollendo corpore ejusdem sanctissimi viri, in loco qui collum bovis nominatur: sed meritis beati Patricii, & misericordia Dei, ne sanguis effunderetur Christianorum, seditio illic sedata est. Conditio enim bellorum die, intumescabant ultra modum fluctus maris, quod erat inter insulas istos, prohibentes naves bellicas, ne ad invicem convenire ullatenus potuissent. Alio autem tempore cum quiescissent maria, surrexerunt iterum orientales contra Ultanos populos, & acriter ad certamen irruerunt, ac certatim armati in bellum hostili impetu, ad locum beati corporis proruperunt, sed felici mirabiliter sunt fallacia seducti. Nam cum tali bello fortitudini suæ confidentes, sanctum corpus orientales, utpote savissimi hostes, ab Ultanis expeterent, corpus illic Dei natu plastro cum duobus bobus advectum ad se quali venire conspiciunt: qui nimium gavili, sanctum esse corpus putabant, asstantes se sua hoc virtute rapuisse, & præunte eos plastro, ut putabant, domum cum festinatione reverti cupiebant. Sicque cum tali apparatu & armatura usque ad flumen, qui dicitur Caubene, cum corpore, ut putabant, pervenerunt: quo transitu, plastrum cum corpore eis ultra non comparuit. Hoc enim Dei pietas ita fieri, ut putamus, permisit, ut de tanto ac tam beato corpore etiam inter pertinaces & contentiosos pax esset. Nam felix illa fallacia, pia propitiatione bellum providenter inter gentem & gentem sedavit, ne quod esset animarum salus innumerabilem, in exitium & mortem converteretur plurimorum. Et sicut Syri quondam exacerati, ne sanctum Heliseum occiderent, ab eodem Propheta divina provisione ad Samariam usque deducti sunt: ita etiam hæc seductio ad concordiam, non ad seditionem istorum populorum profuit. Ecce habes frater Pauline, à me humili probo postulatum nostræ fraternitatis indicium, quo nos pauperes aliqua tibi de sanctissimi patris nostri Patricii Episcopi virtutibus scribere cupiebas. Peto ergo caritatem tuam, ut pro me Deum rogare digneris, ut meritis beatissimi Patricii meorum consequi merear veniam peccatorum, & qui nostris culpis præpedientibus ejus præmio non mereamur æquale consortium, sit nobis in præmio æternum evasile supplicium: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit, Deus per omnia sæcula seculorum, Amen.

Sancti Patricii vita Finis.